



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Vitæ Pontificum Romanorum**

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

**Sandini, Antonio**

**Bambergæ, 1753**

CII. Valentinus. Anno Christi 827. Ludovici Pii 14. Michaelis II. Balbi 8.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65464](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65464)

CII.

VALENTINUS.

ANNO CHRISTI 827.

LUDOVICI PII 14. MICHAELIS II. BALBI 8.

Bar. an.  
827. §.  
27. 29.  
Pag §. 7.

VALENTINUS Petri filius. Romanus, & Romanae Ecclesiae Archidiaconus, quo die electus quove die mortuus sit, incertum est. Illud constat, brevissimum fuisse Pontificatum ejus. Cum enim ad *diem quadragesimum* Pontifex fuisset, anno 827. excessit è vita. (1)

## ANNOTATIONES.

(1) Mabillonius Comment. in Ordinem Romanum cap. 18. pag. 117. ex iis, quae de hujus Pontificis consecratione scribit Anastasius ad hunc modum concludit: *Tunc ergo hi erant consecrationis ritus, nempe ipsa novi Pontificis consecratio ad S. Petrum, impositio ejusdem in sedem S. Petri, oblatio Sacrificii per novum Pontificem, convivium, munera in Senatum & populum erogata, quae Presbyteria vulgari nomine appellabant.* Idemque pag. 119. Valentini exemplo docet: *Diocesanum, praetermissio Ordine Presbyteratus*

consecratum fuisse Pontificem. *Valentinus* quippe Archidiaconus, ex *Anastasio*, statim à sua electione condignis gloriae laudibus ad Lateranensem Patriarchium deductus, & in Pontificali est positus throno. Vide annotat. 1. ad Sabinianum.

CIII.

## GREGORIUS IV.

ANNO CHRISTI 827.

LUDOVICI PII 14. MICHAELIS II. BALBI 8.

GREGORIUM IV. Joannis filium, Romanum Pontificiam dignitatem constantissimè recusantem, vel statim, vel paulò post Valentini obitum Clerus, populusque Romanus Pontificem esse voluit. Hujus inauguratio prorogata. Siquidem non priùs ordinatus est, quàm Legatus Imperatoris Romam venit, & electionem populi, qualis esset, examinavit. (1) Altero hujus Pontificis anno Christi 828. corpus S. Marci Evangelistæ Venetias Alexandriâ delatum est, & anno insequente in Ducali Basilica, in ejus honorem constructi cepta, reconditum. (2) Eodem anno Gregorius Ostiam Urbem

Bar. an.

827. §.

29. 32.

Pag. §.

7. 8.

Pag. an.

820. §. 9.

Bar. an.

829. §. 7.